

tius corporis nequit. Multa praeterea mira traduntur. Sed maxime sermonem humanum inter pastorum stabula assimilare, nomenque alicuius addiscere, quem euocatum foras laceret. Item uomitionem hominis imitari, ad sollicitandos canes, quos inuadat. Ab uno animali sepulchra erui, inquisitione corporum: Feminam raro capi. Oculis mille esse uarietates, colorumque mutationes. Praeterea umbrae eius contactu canes obmutescere. Et quibusdam magicis artibus omne animal quod ter lustrauerit, in uestigio haerere. Huius generis coitu leana Aethiopica parit erocutam, similiter uoces imitatem hominum pecorumque. Acies ei perpetua in utraque parte oris, nullis gingiuis dente continuo: qui ne contrario occursum hebetetur, capsarum modo includitur. Hominum sermones imitari et mantichoram in Aethiopia, autor est Iuba. Hyana plurima gignuntur in Africa, quae et asinorum syluestrium multitudinem fundit. Mares in eo genere singuli seminarum gregibus imperitant. Timent libidinis amulos, et ideo grauidas custodiunt: morsuque natos mares castrant. Contra grauidae latebras petunt, et parere furto cupiunt, gaudentque copia libidinis. Easdem partes sibi ipsi Pontici amputant fibri, periculo urgente, ob hoc se peti gnari: castoreum id uocant medici: alias animal horredi morsus, arbores iuxta flumina ut ferro cedit: hominis parte comprahensa, non ante quam fracta concrepauerint ossa, morsus resoluit. Cauda piscium ijs, caetera species lutra. Vtrumque aquaticum, utriusque mollior pluma pilus.

De ranis, & uitulis marinis, & stellionibus.

CAP. XXXI.

Rana quoque rubeta, quarum et in terra et in humore uita, plurimis referta medicaminibus, deponere ea quotidie ac resumere a pastu dicitur, uenena tantum semper sibi reseruantes. Similis et uitulo marino uictus, in mari ac terra: simile fibro et ingenium. Euomit fel suum, ad multa medicamenta utile: Et coagulum, ad comitiales morbos: ob ea se peti prudens. Theophrastus autor est, angues eo modo et stelliones senectute exuere, eamque protinus deuorare, praecipientes comitali morbo remedia. Eosdem mortiferi in Graecia morsus, innoxios esse in Sicilia.

De ceruis.

CAP. XXXII.

Ceruis quoque est sua malignitas, quam placidissimo animalium. Urgete uicium canum, ultro confugiunt ad hominem. Et in pariendo semitas minus cauent, humanis uestigijs tritas, quae secreta ac feris opportuna. Conceptus earum post Arcturi sidus. Octonis mensibus ferunt partus, interdum et geminos. A conceptu separant se. At mares relicti rabie libidinis seruiunt: fodiunt serobes. Tunc rostra eorum nigrescunt, donec aliquando abluant imbres. Feminae autem ante partum purgantur herba quadam, quae felis dicitur, faciliore ita utentes utero. A partu duas habent herbas quae aros et felis appellantur: postea redeunt ad partum: illis imbui lactis primos uolunt succos, quacumque

de causa. Editos partus exercent cursu, et fugam meditari docent: ad praerupta ducunt, saltumque demonstrant. Iam mares soluti desiderio libidinis, auide petunt pabula. Vbi se praepingues sensere, latebras quarunt, fatentes incommodum pondus: Et alias semper in fuga acquiescunt, stantesque respiciunt, cum prope uentum est, rursus fugae praesidia repetentes. Hoc fit intestini dolore, tam infirmi, ut ictu leui rumpatur intus. Fugiunt autem latratu canum audito secunda semper aura, ut uestigia cum ipsis abeant. Mulcentur fistula pastoralis et cantu: cum erexere aures, acerrimi auditus: cum remisere, surdi. Caetero animal simplex, et omnium rerum miraculo stupens: in tantum, ut equo aut bucula accedente propius, hominem iuxta uenantem non cernant, aut si cernant, arcum ipsum sagittasque mirentur. Mariae tranant gregatim nantes porrecto ordine, et capita imponentes praecedentium clumbus, uicibusque ad terga redeunt. Hoc maxime notatur a Cilicia Cyprum traicientibus. Nec uident terras, sed in odore earum natant. Cornua mares habent, solique animalium omnibus annis stato ueris tempore amittunt: ideo sub ipsa die quam maxime inuia petunt. Latent amissis ne ut inermes, sed et hi bono suo inuidentes. Dextrum cornu negant inueniri, seu medicamento aliquo praeditum. Idque mirabilius fatendum est, cum et in uiuarijs mutant omnibus annis, defodi ab ijs putant. Accensis autem utrislibet, odore serpentes fugantur, et comitiales morbi deprehenduntur. Indicia quoque aetatis in illis gerunt, singulos annis adiacentibus ramos usque ad sexennes ab eo tempore similia reuiuiscunt: nec potest aetas discerni, sed dentibus senectus declaratur. Aut enim paucos, aut nullos habent, nec in cornibus imis ramos, alioquin ante frontem prominere solitos iunioribus. Non decidunt castratis cornua, nec nascuntur. erumpunt autem renascentibus tuberibus primo aridae cutis similia. eadem teneris increpant ferulis ariditas in paniculas, molli plumata lanugine. quae diu carent ijs, noctibus procedunt ad pabula: incrementa solis uapore durant, ad arbores subinde experientes: ubi placuerit robur, in aperta prodeunt. Captique iam sunt, edera in cornibus uiridante, ex attritu arborum, ut in aliquo ligno teneris dum experiuntur innata. Fiunt aliquando et candido colore, qualem fuisse traditur Q. Sertorij ceruam, quam esse fatidicam Hispaniae gentibus persuaserat. Et ijs est cum serpente pugna. Vestigant cauernas, nariumque spiritu extrahunt renitentes. Ideo singulare abigendis serpentibus, odor adusto ceruino cornu. Contra morsus uero praecipuum remedium ex coagulo hinuli in matris utero occisi, uita ceruis in confesso longa, post canos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander magnus addiderat, ad optertiam iam cute in magna obesitate. Febrium morbos non sentit hoc animal, quin et medetur huic timori. Quasdam nos principes feminas scimus omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, longo aeuo caruisse febribus: quod ita demum